

Luis del Alcázar, S.J.

In Evangelium Joannis

[f.116]

**De Resurrectione Domini
circa Evangeliorum concordiam**

Circa personas. Dubitatur 1º, an eundem primum adventum Magdalenae ad sepulchrum narrent omnes Evangelistae, an primus adventus quem singuli narrant sit unus et idem.

Negat Hieronymus, Mt 28, sed affirmant Augustinus, Cyrillus, D. Thomas¹ et reliqui omnes, et plane ex textu res convincitur, ut bene multi ostendunt. Itaque solum superest difficultatibus respondere.

1ª difficultas est quod Joannes c.20 solum meminit Mariae Magdalenae; Mt c.28 adiungit alteram Mariam, nempe Mariam Jacobi; Mc c.16 addit Salome; Lc c.24 meminit etiam Joannae et coeterarum quae cum eis erant; ergo non est idem adventus. (Illam alteram Mariam intelligit Deiparam Nissenus, De resurrectione Christi oratione 2, sed non videtur recipienda eius sententia).

Respondet Augustinus 3 De consensu c.24, in singulis Evangelistis intelligendum esse id quod Lc Expressit, ut cum Joannes ait *Maria Magdalena venit mane* intellige et coeteris quae cum ea erant. Sed non immerito eam solam a Joanne commemorari quia illa erat dilectione ferventior. Euthymius c.48 in Mc ait solent Evangelistae per personam quae insignior est eam etiam intelligere quae minus nota est, ut Mc 10[46] *Bartimaeus caecus sedebat iuxta viam mendicans*, et tamen ex Mt [9,27] constat esse duos caecos sed Bartimaeus nominatus est quia erat insignior et in illo intelligitur alter caecus qui minus notus erat. Et Mc 5[2] Dominus sanavit hominem habentem legionem daemoniorum, et tamen constat ex Mt 8[28] non fuisse unum daemonicum sed duos. Gn 8 recordatus est Dominus *Noe et cunctorum animantium qui erant cum eo*: sub Noe intelligitur uxor eius et filii et uxores filiorum. Sic legimus eversam fuisse Sodomam et Gomorram, cum constet ex Gn 19[24] et Deut 29[23] fuisse etiam eversas alias civitates. Sic Rut 4[11] Rachel et Lia dicuntur aedificasse domum Israel cum multae ex tribus Israel sint ex filiis ancillarum Balae et Telphae.

¹ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.20*. Ed Vivès t.17,p.679.

2. 2^a difficultas est circa tempus. Nam Mt ait *vespere sabbati quae lucescit in prima sabbati*; Mc ait *valde mane una sabbatorum orto iam sole*. Lc *una sabbati valde diluculo*. In *mane cum adhuc tenebrae essent*. Ex hac ergo diversitate narrationis videntur tres adventus colligi: —primus, dies sabbati post solis occasum, ex Mt; —et alter feria 1^a, cum adhuc tenebrae essent, ex Jn; —et tertius orto iam sole, ex Mc.

(Et saltem Hieronymus, ad Hedibiam² epist.150, q.4, *duos* intelligit adventus, alterum media nocte quem Jn et Mt describant, et alterum oriente sole, de quo Mc et Lc, et eadem videtur esse Theophylacti³ sententia in Jn.

Euthymius⁴ in Mt *unicum* ponit adventum statim post mediam noctem, in primo gallicinio post sextam noctis horam et conatur defendere iam tunc esse ortum solis atque diluculum, sed durissime.)

Sed contra est quod ex Mt et Jn constat mulieres vidisse lapidem sublatum ab ostio monumenti et angelum desuper sedentem; quomodo ergo dicendum est idem tempus signari a Jn et Mc non mediae noctis sed diluculi, non quo sol iam esset supra terram sed quo caelum ab orientis parte iam albesceret, quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate, eius enim est ille fulgor qui nomine aurorae appellari solet atque eo tempore adhuc sunt tenebrae quae tanto magis extenuantur quanto magis oritur lux. Ita Augustinus, 3 De consensu c.24. Neque obstat quod ipse legit oriente iam sole, utroque enim modo verti potest verbum graecum ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, sed sive legamus *oriente sole* sive *orto sole*, non de ipso sole sed de eius radiis explicandum est ut nota Beda⁵ in Mc, Theophylactus et Euthymius⁶ in Mt, S. Thomas⁷ hic et 3p, q.53, a.2 ad 3⁸, Lyranus⁹ et Cajetanus¹⁰ in Mc et Jansenius¹¹ c.145. Sunt qui intelligant profectas fuisse mulieres cum adhuc tenebrae essent, sed advenisse in monumentum orto iam sole. Sed contra est quod sicut Mc ait veniunt ad monumentum orto iam sole, ita Jn ait Maria Magdalena venisse mane cum adhuc tenebrae essent ad monumentum; adde quod ipse Mc maioris explicationis gratia adiecit *valde mane* et non ait *valde mane proficiscente* sed *valde mane veniunt ad monumentum orto iam sole*. [f.116v] ergo opus est ut de eodem tempore intelligatur orto sole et *valde mane*, et quod ait Jn *cum adhuc tenebrae essent*.

² HIERONYMUS, *Ad Hedibiam epist 150 [120], c.4*. PL 22,988.

³ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn, 20,1-4*. PG 124,290.

⁴ EUTHYMIUS, *Comment in Mt 28, 1*. PG 129,747.

⁵ VENERABILIS BEDA, *In S.Mc Ev expositio 16,2*. PL 92,295.

⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Mt 28,1*. PG 129,747.

⁷ THOMAS AQ., *In Mc Ev c.16*. Ed Vivès t.16, p.653.

⁸ THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 3p, q.53, a.2 ad 3. Ed. Vivès, t.5, p.273.

⁹ GLOSSA ORDINARIA, *Mc 16,2*. PL 114,241.

¹⁰ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Mc 16*. Lugduni 1573, fol.195.

¹¹ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1056.

3. Superest verba Mathaei expendere et conciliare. Jansenius¹² non videtur legere *vespere sabbati* sed *vespera sabbati*, et intelligit ipso die sabbati statim post solis occasum, quando iam operari licebat, tunc dici mulieres in sepulchrum venisse, non quod tunc exierint extra moenia civitatis sed quod tunc iunge convenerint et aromata paraverint ut nocte transacta venirent et ungerent corpus Domini. Quod si obiicias illa verba, *quae lucescit in prima sabbati*, quae ad diluculum pertinere videntur, respondet esse hebraismum: hebraei enim statim post solis occasum aiunt diem illucescere quoniam tunc incipit eorum dies. Et probat ex Lc 23,54 *et dies erat parasceve et sabbatum illucescebat*. Certe quod attinet ad illam phrasim *in prima sabbati* nullam habet difficultatem in Jansenio. Sed nihilominus magnam vim affert ille verbis Evangelistae quod enim manifestius contra Mt loqui non de conventionem mulierum inter se ut venirent ad monumentum sed de adventu ipso, cum dicat *venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulchrum et ecce terremotus factus est magnus*, quis non videat Evangelistam coniungere adventum cum terremotu? Quasi diceret eadem hora id est vespera sabbati factum esse terremotum.

4. Multo probabilius Montanus ait totum tempus a vespera usque ad auroram hebraeis dici *hereb* id est vespere, ut Gn 1 *factum est vespere et mane dies unus*. Ut sensus sit nocte illa post sabbatum (cuius noctis extremum attingit lucem primae diei hebdomadis) venerunt mulieres videre sepulchrum.

(El ejemplo claro es de uno que saliese de camino a medio día y contase de esta manera: la tarde llegué a Carmona y la mañana a la Monclova -ya tenemos un día-; luego a la tarde llegué a Écija y la mañana a Guadalcazar -ya tenemos dos días-; luego a la tarde a Córdoba y a la mañana a Adamuz -ya tenemos tres- ecce vespere et mane dies unus, dies secundus, dies tertius. Y las noches sin contarlas quedan contadas.)

Verum contra hanc expositionem obiiciunt quidam non probari ex Sacra Scriptura totam noctem appellari *hereb* seu vesperum quia semper alias tribuitur hoc nomen extremae diei parti, et in loco Genesis non videtur ibi fieri mentio de noctibus quae numeratis diebus intelliguntur numeratae sed de diebus quorum prima pars dicitur mane, et secunda vespere. Parte el día en mañana y tarde. Et cum in eodem capite expresse dicitur nomen lucis esse diem et tenebras appellari noctem, nimis coactum esset cum subditur factum esse vespere et mane diem unum, per mane intelligere diem et per vesperam noctem, quia si dicas ordinem narrationis impedire ne per vesperam intelligamus ultimam diei partem quia non ait mane et vespere sed vespere

¹² JANSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1055.

et mane atque adeo aptius esse ut per *vespere* intelligatur nox, inde enim colligunt hebraei noctem esse priorem die. Respondeo per noctem necessario debere intelligi tempus absentiae solis aut lucis, et quia lux videtur facta statim cum coelo et terra, non potest fingi noctem esse priorem, et si primis illis diebus creationis mundi intelligamus successive fuisse illuminatam terram sicut postea a sole, necessario consequetur diem et noctem simul incepisse sicut modo quo tempore nobis est dies, antipodis est nox et e converso, et ridiculus esset velle ut Sacra Scriptura incipiat ab adversa parte terrae illuminatae et propterea hoc ordine dicat *vespere* et mane. Certe si respectu alicuius partis terrae determinatur loquutio multo aptius est ut determinetur respectu illius quae primum est omnino illuminata vel respectu illius in qua erat historiographus. Si ergo esa era modo día quando creatus est mundus, id est in cuius meridiano creata est lux et tunc apte intelligetur cur non dicatur mane et *vespere* sed *vespere* et mane, quia si incipiamus a meridie prius est vespertinum tempus quam matutinum et inter vesperam et mane comprahenditur nox atque ita non oportuit meminisse noctis quia cum Sacra Scriptura vellet integros dies 24 horarum numerare a meridie usque ad meridiem satis fuit dicere eiusmodi dies concludi et terminare [f.117] vespera praecedente et mane subsequente, in qua loquendi forma *vespere* designat totum vespertinum tempus a meridie, et mane totum matutinum tempus usque ad meridiem, sicut nos diem sive lucem partimur in mane et *vespere*, en mañana y tarde. Quare locus Genesis meo iudicio nihil adiuvat in praesenti Montanum quia non probat noctem appellari *vesperam*, et ibi potius est sermo de luce postmeridiana. Praeterea ratio quam affert Montanus propter quam mulieres venerunt ea nocte antequam finiretur sabbatum, supponit falsum, nempe eas non timuisse ne corpus Domini mutaretur ex sepulchro illa nocte in alium locum quoniam per sabbatum non licebat corpus mutari aut sepulchrum aperiri sed oportebat ad minimum expectare primam sabbati, id est diem dominicam. Falsum inquam supponit quia in sabbato ad *vesperam* iam licebat operari atque adeo si id timebant deberent statim post solis occasum ad sepulchrum venire.

5 Hieronymus¹³, q.4 ad Hedibiam ait sibi videri Matheum qui Evangelium hebraico sermone conscripsit non tam *vespere* dixisse quam *sero*, et eum qui interpretatus est verbi ambiguitate deceptum non *sero* interpretatum esse sed *vespere*. Sed si reprahendit eum qui ex hebraeo transtulit in graecum, graeca dictio ὀψέ potius significat *sero* quam *vespere*, et si reprahendit interpretatem latinum, saepe commutantur istae voces *sero* et *vespere* et parvum est inter eas discrimen, et saepe ad significandam *vesperam* invenitur

¹³ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.4*. PL 22,987.

eadem dictio graeca, ut Mt 11,19, Mc 13,35. Vide etiam Mt 8,16 et 16,2, 28,8, 26,20, 27,57. Mc 1,32, 4,35, 6,47, 14,17, 15,42 (antes de ponerse el sol), Jn 6,16, 20,19. Nihilominus tamen Hieronymus in praesenti exponit οψε, id est *sero*, non incipiente nocte sed iam profunda et magna ex parte transacta. Et Ambrosius¹⁴ paulo ante finem commentariorum in Lc, docet hic haberi in graeco οψε, id est *sero*, *sero* autem aliquando significare tempus noctis profundum ut si dicas sero ad lucubrandum surrexi, id est profunda nocte, et ita accipi apud Mt in quo prorsus cum Hieronymo¹⁵ convenit.

Sed contra hanc explicationem est communis usus particulae οψε ut patet ex supradictis locis. Praeterquam quod mulieres non venerunt profunda nocte sed *diluculo* ut supra patet.

6. Quidam notant dictionem graecan non solum significare extremam diei partem sed etiam metaphoricam extremam partem cuiusvis rei, ut οψε aetatis, id est ad finem aetatis. Ita igitur hic apud Mt οψε των σαββατων significat idem quod in fine sabbatorum id est in fine hebdomadis nam hebdomadam more hebraico appellat sabbatum sive ut est in graeco sabbata, et noster interpraes eadem usus metaphora dixit vespere sabbati id est in extrema parte sabbati, sumendo vespere pro extremitate cuiusvis rei, ut cum in hymno dicitur *venit ad vitae vesperam*. Quod si dicas extremam partem sabbati sive hebdomadis esse id quod proprie appellatur vesper, praesertim more hebraico, et saltem diluculum diei dominicae nulla ratione esse extremitatem praecedentis hebdomadae, respondent aliter numerari dies quantum ad festivitates, nempe *a vespera ad vesperam* ex Levit 23[32], et aliter quantum ad communem usum, in quo nox adiungitur praecedenti diei et maxime quando dies sequutus non est dies festus, atque ita cum dies sabbati esset dies festus merito D. Lucas in vespera diei veneris dixit iam sabbatum illuscescere, quia vero dies [117v] dominicus non erat iudaeis festus, ideo Mt ante solis ortum diei dominicae adhuc dicit esse extremitatem diei sabbati, atque ut doceret se loqui non de fine diei sed de fine noctis propterea addidit *quae lucescit in prima sabbati*. Unde sensus est cum iam sabbatum finiretur et inciperet dies dominica tunc venerunt mulieres, nempe in crepusculo matutino.

7. Verum haec explicatio non reddit rationem graecae loquutionis, cum particula οψε videatur semper in Evangeliiis pertinere ad vespertinum tempus. Ad hoc ergo dico duplicem esse usum huius particulae in graeco:

¹⁴ AMBROSIUS, *Expos in Lc c.24*. PL 15,1935.

¹⁵ HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 28,1*. PL 26,224.

alterum cum ponitur absolute, et tunc plerumque significat vesperam ut in caeteris Evangeliorum locis; alterum, cum ponitur cum genitivo et tunc non est petenda significatio ex usu absoluto dictionis sed ex aliis locis in quibus cum eodem regimine invenitur. Favet Nissenus¹⁶, de Resurrectione Christi oratione 2, explicat οψε sabbaticum. (No niego que algunas veces οψε con genitivo dicit extremitatem, sed usus qui facit ad rem probatur ex Plutarco. Porque diciendo que fueron después de tal día entiéndese luego otro día, atque ita ait después del sábado cuando esclarecía para el domingo. Eiusmodi ergo usum quaerens in Thesauro graeco invenio ex Plutarco ὀψὲ τῶν βασιλέως χρόνων, post regis tempora; ergo similiter οψε τῶν σαββάτων erit post sabbata sive quod idem est finita illa hebdomada, sive statim post sabbatum id est die dominico. Qua loquendi ratione nondum explicavit horam sed diem, ad explicandam vero horam subiecit τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, id est illuscente die in prima sabbati. Ubi nota quod in nostra lectione habetur femenino genere, *quae lucescit in primam sabbati*, desumptum esse ex graeco ubi οψε est adverbium et *epifoscusi* foemeninum, unde non erat cur Erasmus neque Jansenius¹⁷ vellent corrigere et legere vespera autem quae lucescit, quia foemeninum participium non cohaeret cum adverbio sed cum nomine diei subintellecto, unde optime habent nostra *vespere autem sabbati quae lucescit* sive *vesperi quae lucescit*, in quo evidenter ostenditur non esse coniungendum relativum cum adverbio sed cum nomine subintellecto nempe cum eodem quod subintelligitur in illo adiectivo *primam* quod est *dies*, graece *emera*.

8. Hic sensus meo iudicio est simplicissimus et aptissimus in graeco. Sed dices quomodo in lectione latina erit idem vespere sabbati quod post sabbatum. —Respondeo 1º, interpretem qui magis noverat graece quam latine, pro illa dictione οψε posuisse vesperi ut fideliter redderet, et ambiguitatem dictionis graecae transferret etiam ad dictionem latinam, non tam quod puritas sermonis latini id ferat quam quod pro translationis fidelitate accommodandae sint latinae voces ad graeca idiomata et vespere sabbatorum accipiendum sit in eo sensu in quo graeci dicunt οψε σαββάτων, id est post sabbatum, nam multi similes graecismi et hebraeismi sunt in Sacra Scriptura tolerandi. (En español la víspera de tal día es un día antes; en latín vespera sabbati es el mismo día; en griego οψε σαββάτων es un día después: son idiotismos.) —Respondeo 2º, facile explicari nostram lectionem si dicamus interpretem non tam vertisse verba quam sensum, sensus enim facile intelligetur si per vesperam comprehendamus totam noctem sequentem

¹⁶ GREGORIUS NYSSENUS, *In Christi Resurrectionem, oratio 2*. PG 46,631.

¹⁷ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1055s.

sinecdochice, sicut multi intelligunt in id Gn 1 *factum est vespere et mane dies unus* et sicut intelligunt in Mt Augustinus, 3 de Consensu c.24, et Martinez¹⁸ 9 Hypotyposeon, regula 7, sed adhuc non est legendum vespera sed adverbialiter vesperi, sic enim habent omnes libri antiqui et sensus erit quasi diceret nocte illa post sabbatum, die iam illuscente in dominicam venisse Mariam Magdalenam etc. **[f.118]**

9. Sed dices: cur non venerint mulieres ad unguendum Dominum ipso sabbato post solis occasum quando iam licebat per legem? Respondeo quia nondum paraverant aromata et unguenta ut constat ex Mc 16, nam cum transisset sabbatum emerunt aromata, id est ad vesperam sabbati, statim ac per legem licuit, unde quod Lc ait c.23 fine [v.54] *dies erat parasceve et sabbatum illuscebat revertentes autem mulieres paraverunt aromata et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum, una autem sabbati venerunt ad monumentum*, non sic est accipiendum quasi in ipso die veneris ad vesperam paraverint aromata, nam potius propterea dicit quod sabbatum incipiebat ut significet eo die solum ausas fuisse videre monumentum et quemadmodum positum erat corpus Jesu, atque ita reversas fuisse in domum et postea parasse aromata id est ad vesperam sabbati quia sabbato quiescendum erat secundum legem atque ita non potuerunt secum deferre aromata ante diem dominicam, neque enim media nocte eis erat domo egrediendum, satis fuit egredi valde mane cum adhuc tenebrae essent.

10. Solet etiam hic dubitari qua hora Dominus surrexerit. Hieronymus q.3 et 4 ad Hedibiam¹⁹ existimat statim post mediam noctem Dominum surrexisse et idem tenet Euthymius²⁰ in Mt c.28, et ait esse unanimum Sanctorum Patrum atque Doctorum consensum. Favet Cyrillus²¹, 12 in Jn c.44. Nam concilians Mt cum Jn dicit idem tempus mediae noctis ab utroque significari, et fere eadem est sententia Theophylacti in Jn, et facit Ambrosius prope finem Lucae. Verum huius opinionis fundamentum, nimirum quod mulieres media nocte, id est paulo post viderint terraemotum iam supra est impugnata. Quod vero contendit Euthymius nempe statim post sextam horam noctis, id est post medium noctis iam vere dici diluculum et ortum solem non videtur ullam habere probabilitatem. Minus improbabile esset si quis diceret mulieres quidem non advenisse nisi illuscente iam die sed Dominum, v.gr. quatuor ante horas surrexisse et aparuisse Matri. Verum multo probabilius

¹⁸ MARTINUS MARTINI CANTAPETRENSIS, *Libri decem Hypotyposeon theologiarum*, l.9, regula 7. Matriti 1571, p.275.

¹⁹ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam* c.6. PL 22,991.

²⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Mt*, 28,3. PG 129,750.

²¹ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev* l.12. PG 74,683s.

est Dominum paulo ante illum terraemotum surrexisse, nempe in aurora diei dominicae.

Et probatur —1° ex Mc 16,9 *surgens autem Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariae Magdalenaee* etc. Quamvis enim Hieronymus, Euthymius²² et Theophylactus²³ coniungant dictionem *mane* cum apparitione et non cum resurrectione, sed simplicius est ut ad resurrectionem referatur ut intellexit Beda²⁴. Probatur —2°, ex titulo Ps 21[1] pro assumptione *matutina* (graeca dictio auroram designat, et similiter hebraea), et ex Ps 56[9] *exurgam diluculo* ut exponunt Hieronymus, Augustinus et caeteri latini.

Probatur —3°, quia nisi summatur parum diei dominici non potest intelligi quomodo Dominus fuerit in sepluchro tribus diebus et tribus noctibus. Vide Augustinum 4 de Trinitate c.6, et 3 de Doctrina Christiana²⁵ c.31 et 35, et 3 de consensu²⁶ c.24, et libro qq. Evangeliorum²⁷ q.7.

Probatur —4°, ex hymno Ecclesiae ad Laudes *aurora lucis rutilat cum rex ille fortissimus* etc. Et denique probatur ex terremoto cuius mulieres iam albicante die advenientes potuerunt esse testes; quamvis enim non prius factus sit terremoto neque sublatus lapis quam Dominus resurrexerit, non tamen erat differendum eiusmodi signum factae resurrectionis sed statim post illam exhibendum. (De figura Sansonis bene Jansenius²⁸. Vide Gregorium homil 21 in Evangelia).

11. In angelica visione mulieribus ostensa videtur esse dissonantia inter Evangelistas, nam Mt ait quod viderunt angelum super lapidem sedentem. Mc ait quod introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris. Lc ait quod postquam ingressae sunt et mente consternatae eo quod non invenirent corpus Domini ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. In vero non solum omittit angelorum apparitiones sed etiam refert mulierum verba ex quibus apparet nihil eiusmodi eas vidisse, aiunt enim *tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum*. De hac quaestione vide Jansenium²⁹ c.145, ubi optime probat [f.118v] contra Augustinum Mariam Magdalenam in primo accessu ad monumentum visionem angelorum vidisse quam narrant Mt, Mc et Lc, et postea, cum regressa est iterum duos vidisse angelos ut narrat Joannes. (Que el ángel de

²² EUTHYMIUS, *Comment in Ev Mc 16,9*. PG 129,846.

²³ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Mc, 16,9-13*. PG 123,678.

²⁴ VENERABILIS BEDA, *In S.Mc Ev expositio 19,9*. PL 92,297.

²⁵ AUGUSTINUS, *3 de doctrina christiana c.35*. PL 34,86.

²⁶ AUGUSTINUS, *3 de consensu Evangelistarum c.24*. PL 34,1199.

²⁷ AUGUSTINUS, *Quaestiones Evangeliorum l.2, q.7*. PL 35,1325.

²⁸ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1057.

²⁹ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580,1061.

S. Mt no es el mismo de S. Mc affirmat Euthymius et dubitat Augustinus. Contrarium postea tenet Augustinus et Jansenius³⁰. Facit quod aiunt de forma sepulchri). Qui vero dicunt eandem esse angelorum visionem quam narrat Lc cum ea quam narrat Jn, ex Augustino et Euthymio ita concordant ut postquam mulieres hortante angelo introierunt in sepulchrum tunc viderint duos angelos sedentes in albis unum a dextris et unum a sinistris (ut ait Jn) qui Mariae quam prae caeteris tristem et flentem viderant dixerunt *quid ploras*, et dum illae essent mente consternatae quia non reperiebant corpus Domini neque sciebant ubi positum esset, nam resurrectionem prae desiderio nondum credebant, tunc surrexerint illi duo angeli et steterint iuxta illas in veste fulgenti ut ait Lc, dicentes *quid quaeritis viventem cum mortuis?* Verum haec concordia omnino videtur repugnare textui, ut manifestum erit cuivis attente legenti, nam Lc narrat visionem angelorum in primo accessu ad sepulchrum, Jn vero in illo altero accessu Mariae Magdalенаe quando vidit Dominum, ergo sunt diversae visiones.

12. Ad id vero quod obiicitur, nempe Mariam post primum accessum ad sepulchrum nihil aliud dicere discipulis iuxta Jn nisi *tulerunt Dominum et nescimus ubi posuerunt eum*, Respondeo et postea in secundo accessu flere et eadem verba repetere, ex quibus colligitur eam nihil prius credidisse de Domini resurrectione, atque adeo non vidisse prius angelos. Respondeo ex Lc constare mulieres non solum dixisse apostolis se non invenire Dominum sed etiam quod angeli ad eas dixissent; Maria vero prae caeteris videtur adeo stupefacta et mente alienata ut parum curet de angelorum apparitione neque de eorum verbis atque ita sicut amentes singuli aliquid adeo vehementer appraehendunt ut caeteris oblitis ad illud identidem recurrant, ita Magdalena videtur illo tempore extra se posita illud solum inculcare quod eius mentem prorsus occupaverat, nempe sublatum fuisse corpus Domini. Sed dices: si Magdalena ait *tulerunt Dominum*, et caeterae narrant visionem angelorum, quomodo Mc ait illas *exeuntes fugisse de monumento, invaserat enim eas pavor et tremor et nemini quicquam dixisse prae timore*. Augustinus³¹ 3 de consensu c.24 prius ponit apparitionem Christi factam Magdalенаe et postea pavorem hunc atque silentium; verum caeteri omnes interpretaetes multo aptius interpretaetes de pavore ante visum Dominum, et quod ad discipulos fugientes mulieres nemini aliquid in itinere dixerunt prae timore.

13. In adventu Petri atque Joannis notat bene Chysostomus factam fuisse mentionem de linteaminibus et sudario, quoniam illa erant signa

³⁰ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1060.

³¹ AUGUSTINUS, *3 de consensu Evangelistarum c.24*. PL 34,1202.

resurrectionis, quoniam si quis corpus furatus fuisset nequaquam in eo nudando et sudarium seorsum reponendo immoratus esset, praesertim cum aromata quibus Domini corpus fuerat unctum valde tenaciter coniungant corpus cum linteis, nam Joseph et Nicodemus ut ait Jn c.19 fine *acceperunt corpus Iesu et ligaverunt illud linteis cum aromatibus sicut mos est judaeis sepelire.*

14. Dicit praeterea Joannes de se ipso quod introivit et vidit et credidit. Cyrillus³² et Euthymius intelligunt credidisse resurrectionem, et facit Chrysostomus³³ iuxta quam sententiam, cum dicitur *nondum sciebant Scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere*, redditur ratio cur usque ad illud tempus non habuissent firmam fidem resurrectionis. Augustinus, Theophylactus³⁴ et Jansenius³⁵ aliter exponunt, nempe vidit et credidit verum esse quod Maria dixerat sublatum esse corpus Domini, nondum enim sciebant Scripturam. Vide id Jn 2[22] *crediderunt Scripturae.*

15. Sequitur deinde prima Christi apparitio facta Magdalena, nam valde aberrat Hieronymus, q.5 ad Hedibiam³⁶, et Euthymius³⁷ qui volunt omnia quae refert Joannes de Magdalena a principio capitis, facta esse postquam mulieres viderunt Dominum apud Mt. Sed quomodo viso Domino et adorato Maria diceret *tulerunt Dominum de monumento*, et fleret. Dubitatur tamen an sola Magdalena viderit Christum in illa prima apparitione, an etiam alias mulieres? Euthymius et Jansenius³⁸ ab hac visitatione excludunt alias mulieres: 1° quoniam Mc ait *surgens autem Jesus mane apparuit primo Mariae Magdalena* et 2° ex hymno Ecclesiae ad vespertas *prima meretur gaudia quae plus ardebat caeteris*, ubi videtur non conferri cum Apostolis sed cum mulieribus. Nihilominus Augustinus existimat caeteras adfuisse mulieres una cum Magdalena quia quamvis prius prae timore fugerant omnes, postea tamen proculdubio [f.119] post Apostolos Petrum et Joanne redierunt etiam ipsae ad monumentum quandoquidem omnes in via viderunt Dominum post secundum accessum ad monumentum. Iam ergo postquam fuerant a timore confortatae non est credibile caeteras reliquisse solam Magdalenam quae erat inter eas praecipua et valde afflicta; praeterea si caeterae abierant non apparet quomodo postea simul illis et Magdalena

³² CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev l.12*. PG 74,683.

³³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 85(84)*. PG 59,465.

³⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20,5-13*. PG 124,291.

³⁵ JANSSENS, *In Concordiam c.145*. Lugduni 1580, p.1062.

³⁶ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.5*. PL 22,989.

³⁷ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Mt 28,15*. PG 129,759.

³⁸ JANSSENS, *In Concordiam, c.145*. Lugduni 1580, p.1063.

apparuerit in via Dominus, nam eam statim currisse et consequutam fuisse caeteras optatum videtur potius quam inventum. Multo ergo aptior est Augustini sententia iuxta quam Jn et Mc solius meminere Magdalenae quia erat praecipua in comitatu. Mathaeus vero nominavit etiam alias. Bis ergo Dominus apparuit mulieribus antequam videretur a Discipulis: primo ad monumentum et postea in via.

16. ***Conversa est retrorsum.*** S. Thomas³⁹ et Lyranus imo et Chrysostomus⁴⁰ homil. 85 dicunt Mariam conversam esse retrorsum quia vidit angelos Christo apparenti assurgere honoris causa. Forte tamen conversa est quia sonum ambulantis audivit aut umbram aspexit aut quia prae cura et desiderio in omnem partem spectabat sicut solent qui aliquid quaerunt et non inveniunt.

17. ***Et non sciebat quia Jesus est.*** Lyranus hic et Cajetanus in apparitione facta discipulis euntibus in Emaus explicat quomodo sit in potestate habentis corpus gloriosum sic apparere ut cognoscatur vel non cognoscatur quoniam efficere potest ut lineamenta et colores corporis sui secundum aliquid sui immutent visum videntium et secundum aliquid non immutent et sic species in sensu videntis non repraesentabit faciem obiectam qualis est in se sed qualis est in specie, ut docet experientia in homine quantumvis noto, quia propter distantiam aut infirmitatem visus non videtur integre atque ita putatur esse alius. Et hoc quidem bene habet quantum ad faciem ut vere videatur Jesus et tamen non agnoscatur; sed quantum ad vestitus formam adhuc habet dubitationem quomodo varia indumenta vel hortulani vel peregrini oculis videntium obiiceret Christus. Respondeo non magis esse difficile quomodo appareret in vestibus varietas quam quomodo appareret vestitus; nec enim Christus habebat vestem, sed si angeli ex nube aut aere et lucis temperamento norunt sibi accommodare tegumenta quae oculis mortalium obiiciant, quanto magis Christus Dei Sapientia?

18. ***Domine, si tu sustulisti eum.*** Appellationem *domini* fere omnes tribuunt urbanitati aut gentis mori. Sed Hieronymus q.5 ad Hedibiam⁴¹ timori et humilitati adscribit. Quod autem dicit *si tu sustulisti eum*, sine nomine, S. Thomas et Lyranus⁴² ex Origene aiunt hunc esse affectum vehementer amantium ut de quo ipsi cogitent putent etiam alios cogitare. Chrysostomus⁴³

³⁹ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.20.* Ed Vivès t.17, p.682.

⁴⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. 86(85).* PG 59,468.

⁴¹ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.4.* PL 22,989.

⁴² GLOSSA ORDINARIA, *Jn 20,15.* PL 114,423.

⁴³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 86(85).* PG 59, 468.

vero subindicat fieri potuisse ut cum hortulanum prope se videret existimaret eum intellexisse quod ipsa angelis responderat *tulerunt Dominum meum*.

19. ***Et ego eum tollam.*** Origenes, Chrysostomum⁴⁴ et multi expendunt magnitudinem amoris et confidentiae, Hieronymus vero ignorantiam, turbationem et inconsiderationem.

20. ***Conversa illa dicit ei Rabboni.*** Quomodo conversa est si cum ipso loquebatur vide Chrysostomum⁴⁵ homil.85, et aliter Hieronymum, q.5 ad Hedibiam⁴⁶. Sed nisi fallor prius faciem solum converterat ut cum hortulano loqueretur, iam vero cum vocem sibi notam agnovit omnino vertit angelis terga et totum corporis et animi habitum convertit ad Christum.

21. ***Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.*** Aiunt Epiphanium⁴⁷ l.3 haeresi 80, per oblivionem putare haec verba dici Mariae Matri Domini. Ego non invenio unde id colligant. At vero quia haec Maria prohibetur accedere, et Maria apud Mt tenet et osculatur pedes Domini cum caeteris mulieribus ideo Ambrosius in fine D.Lucae multis probare conatur hanc Mariam Joannis esse aliam ab illa Mathaei, a qua sententia non multum abhorruit Hieronymus q.4 et 5 ad Hedibiam, et Augustinus et alii, [f.119v] verum quod attinet ad concordiam res est prorsus sine difficultate, et de unitate Magdalенаe iam late supra c.11 in Joannem. In huius vero loci expositione in eo fere conveniunt interpretes quod Dominus tangi se prohibuerit quasi maiorem fidem exigens in Magdalena et maiorem reverentiam. (Fulgentium et Trasimandrum). Ambrosius⁴⁸, Lc ult., et Hieronymus q.5 ad Hedibiam⁴⁹ exponunt quasi diceret noli me tangere quia nondum in tua existimatione ascendi ad Patrem, nondum me iuducas Patri aequalem. Augustinus, tract 121, de tactu spirituali sic: noli me tangere, noli sic in me credere quemadmodum adhuc sapis, tunc me tanges cum ascendero ad Patrem, id est cum Me Patri aequalem credideris. Ita etiam exponit serm.60 de verbis Domini et de tempore serm.152 et 155. Verum simplicius est ut de sua ascensione in coelum loquatur, et hanc omnes proculdubio expositionem optarent nisi quod in connexionem inveniunt plerique difficultatem, quid est enim noli me tangere quia nondum ascendi in coelum, quasi vero post ascensionem in Coelum tunc

⁴⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUM, *Homil.86(85)*. PG 59,469.

⁴⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUM, *Homil.86(85)*. PG 59,468.

⁴⁶ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.5*. PL 22,989.

⁴⁷ EPIPHANIUS, *CONSTANTIAE IN CYPRO, Adversus haereses, haer.80*. PG 42,770.

⁴⁸ AMBROSIIUS, *Expositio in Lc c.24*. PL 15,1936.

⁴⁹ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.5*. PL 22,990.

se tangendum permisurus esset et non antea. Cyrillus⁵⁰ hac ratione connectit et ait ante passionem ab omnibus se tangi sinebat ut omnes sanctificaret, post resurrectionem tamen non facile id permittebat ut doceret se non esse tangendum nisi ab iis qui mundati essent per baptismum et gratiam Spiritus Sancti, quam munditiam Christus effecit per adventum Spiritus Sancti, et ideo ait nondum ascendi ad Patrem scilicet ut mittam Spiritum Sanctum et omnes mundemini. Sed contra est quod misso Spiritu Sancto non erat a fidelibus tangendum proprie nisi quis aliquid de Eucharistia meditetur, in quo sane non valde contenderim. Verum oportet ita explicare rationem quam Christus praebet ut convenienter iuxta illam nunc se tangi prohibeat et nihilominus postea tangi se permittat, nam ut scribit Mt Jesus statim occurrit mulieribus in via dicens *avet, illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum*, et una ex illis erat Maria Magdalena. Cajetanus⁵¹ et alii aiunt Magdalenam apud Joannem non ad pedes se abiiecisse sed familiariter Christum amplecti voluisse eiusque aut faciem aut collum tenuisse quoniam tanta erat eius amoris vis ut non consideraret quid faceret in tam magna insperata et subita laetitia, quod Jansenio⁵² c.145 probabile videtur et addit quemadmodum videri potest ex caruncula illa quae in fronte capitis Magdalenae apud Massilienses conspici dicitur atque ex contactu immortalis manus Domini a suo contactu eam repellens relicta creditur, quod, si ita fuit merito eam repulit, sed postea recurrente ad osculandos pedes cum aliis accedentem non erat cur repelleret. Sed utcumque id sit adhuc non est explicata congruitas rationis quam Christus praebet *nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Nonnulli sic exponunt. Sciebat Magdalena Dominum ad Coelum fore ascensurum nec postea se fruitura eius conspectu et colloquio, ideo occasionem datam tangendi Christum elabi nolebat, et propterea Dominus ait *noli me tangere*, id est tempus tibi restat tangendi et colloquendi adhuc enim sum in terra nec ascendi in coelum, ideo noli nunc morari, sed gaudio quo frueris fac ut fruantur Apostoli, nec enim fas est te in summo gaudio esse et illos in moerore et dolore iacere. Postea vero permisit se tangi in via quoniam iam ibant ad nuntiandum Apostolis nec morari volebant sed tantummodo eum adorare et osculari pedes. [f.120] Contra est quod postea non solum permisit se tangi sed etiam teneri, nunc vero non solum non permittit se teneri sed neque tangi. Sed dices cur similiter non permittit nunc Magdalenae ut osculetur pedes. Respondeo 1^o, forsam ea ratione voluisse Dominum desiderium et devotionem Mariae accendere, nam dum prohibetur quod valde optatur inflammatur desiderium, atque id no iam

⁵⁰ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev l.12*. PG 74,694s.

⁵¹ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Jn 20*. Lugduni 1573, fol.495.

⁵² JANSENS, *In Concordiam c.145*.Lugduni 1580, p.1063.

est prohibere inter amantes quam excitare amorem. Nosti illud *fuge dilecte mi*. Ratio vero quae praebetur dum aliquid ea ratione differtur vel prohibetur non opus est ut convincat sed satis est ut aliquomodo excusare videatur, ut norunt qui eiusmodi elegantibus delectantur, unde eadem postea nihilominus currente ratione concedi solet quod antea nagabatur. Ut si interrogatus de re quam nolim tam cito explicare quousque magis accendatur audiendi aviditas respondeam tempus manere quia nondum abeo, et tamen postea libenter dici longe ante discessum. Sic ergo Christus ait noli nunc meos osculari pedes quia nondum abeo, non tibi deerit tempus quia nondum ascendi ad Patrem, et tamen eodem die et eadem fortasse hora non solum tangi sed etiam teneri se libentissime concessit.

Respondeo 2^o: quamvis Dominus in illis verbis *nondum enim ascendi ad Patrem* videatur reddere aliquam excusationis rationem, tamen forsam ea verba magis pertinere ad explicandam suam immortalitatem ad exigendam reverentiam. Pro quo nota verba Chrysostomi⁵³ qui ait homil.85: Ita volebat María cum Christo familiariter conversari ut solebat, et prae laetitia nihil magnum de illo cogitabat. Ab hac ergo sententia abducit eam ut se reverenter alloquatur, quasi diceret multo melioris conditionis secundum carnem effectus sum, ad Patrem ascendere paro nec iam inter mortales versabor et ideo reverentiam agere debes mecum quam solebas; sed ne hoc asperius dictum videretur id ipsum dixit aliis verbis, qui enim ait *nondum ascendi* significat se statim ascensurum. Ita etiam Theophylactus⁵⁴ et Euthymius⁵⁵.

22. Hactenus probabilissimam conciliandi Evangelistas rationem sequuti sumus. Scio tamen non deesse qui aliter historiam connectant; aiunt enim mulieres in primo accessu vidisse lapidem revolutum et tunc vidisse angelos, sed statim cucurrisse ad Simonem et Joannem atque dixisse *tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum*. Deinde in secundo accessu quem Joannes distinguit, nempe quando cum Petro et Joanne redierunt ad sepulchrum, tunc recedentibus Apostolis mulieres non recessisse sed stetisse ad monumentum plorantes et tunc vidisse angelum sedentem super lapidem, ut aiunt Mt et Mc, quo cohortante ingressae sunt in locum Sacri Sepulchri et viderunt duos angelos sedentes qui dixerunt Magdalenae *mulier quid ploras*. Quod vero addit Joannes *et conversa est retrorsum et vidit Jesum* non ita intelligunt quasi statim post illa verba conversa fuerit et Jesum viderit, sed prius aiunt angelos surrexisse et dixisse *quid quaeritis viventem cum mortuis*, et caetera quae refert Lucas, et tunc caeterae fugisse

⁵³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil.86(85)*. PG 59,469.

⁵⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20,14-18*. PG 124,295.

⁵⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Jn 20,17*. PG 129,1482.

de monumento cum timore de visione et gaudio de nuntio resurrectionis, sed caeteris longius recedentibus Magdalena mansisse prope sepulchrum, et fortasse hoc significasse Joannem cum dixit *conversa est retrorsum*, id est caeteris fugientibus illa conversa est a fuga et iterum plorans ex instabilitate et inquietudine mentis coepit dubitare donec vidit ipsum Christum, et inde ad alias mulieres venit et ad discipulos deferebant nuntium cum in via occurrit illis Dominus et dixit *avete*. Abierunt ergo ad Apostolos et narraverunt omnia quae viderant, et visa sunt illis *deliramenta*, nam Mc bis ait Apostolos [f.120v] non credidisse iis qui Dominum viventem viderant, et confirmatur quia ex Mt et Mc videtur colligi mulieres ex quo viderunt angelos non rediisse ad Apostolos donec viderunt Dominum, atque ita ut omnia sibi constent aiunt D. Lucam nihil narrasse de apparitione Christi facta mulieribus atque ita quod factum est post visum Dominum narrare quasi factum esset antequam videretur atque discipulos variis de causis non dixisse ei quem peregrinum esse putabant mulieres attulisse nuntium de viso Domino, sed de visione angelorum dicentium eum vivere.

23. In hac connexionione difficile est quod postquam narravit Lucas Apostolos non credidisse mulieribus visionem angelorum narrantibus addit continuo *surgens autem Petrus cucurrit ad monumentum*. Sed ad hoc respondet Augustinus⁵⁶ 3 de consensu c.25, Lucam hoc dixisse per recapitulationem; quod vero ait Lc de Petro *et procumbens vidit linteamina posita*, cum id tribuat sibi Joannes. Respondeo Petrus similiter antequam introiret procubuisse ut videret quod aspiciebat Joannes. Non desunt etiam qui ponant duplicem adventum Petri, alterum cum Joanne antequam mulieres viderent angelos, et alterum postea cum Divo Luca, et tunc Petrus abiisse secum admirantem. Sed utcumque sit discipuli qui abierunt in Emaus nondum noverant Christum apparuisse Petro, et tamen noverant discipulos abiisse post visionem angelorum auditam et invenisse sepulchrum corpore vacuum.

24. De caeterarum apparitionum ordine nulla est difficultas. Sed dubitari solet quomodo Dominus apparuerit discipulis in Hierusalem cum dixerit mulieribus apud Mt *nunciate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt*. Medina, libro de Terra Sancta, Aranda tract.1, c.26 et quaedam itineraria Terrae Sanctae, et Joannes Suares in Marcum aiunt hanc Galilaeam de qua loquitur Mt esse quandam montis partem in summitate montis Oliveti. Verum hoc ridiculum est et contra Sanctorum doctrinam qui aiunt in Galilaea Dominum post resurrectionem per multos dies

⁵⁶ AUGUSTINUS, 3 de consensu Evangelistarum c.25. PL 34,1204.

conversatum fuisse cum Apostolis ut eos instrueret, sed hoc non obstare quominus ante profectionem se obiter illis conspiciendum praebuerit. (Festinata promissionis impletio non est transgressio.) Vide Hieronymum q.7 ad Hedibiam⁵⁷, Ambrosium in Lc, Euthymium⁵⁸ in Mt, S.Thomas⁵⁹ 3p, q.55, a.3 ad 4, Chrysostomum⁶⁰ homil. 85, et Augustinum 3 de consensu c.25 contra calumniam Juliani.

25. Dubitatur quomodo Dominus ingressus sit januis clausis, nam Durandus⁶¹ 4, d.44, q.6 putat nullam esse potentiam ad corporum penetrationem. (Dice Durando que por ventura se abrieron las puertas de repente.) Respondeo eam esse falsam sententiam contra communem Sanctorum, de quo vide Hieronymum⁶² q.7, Chrysostomum⁶³, homil.85, Augustinum⁶⁴ tract.121, Cyrillum⁶⁵, Theophylactum⁶⁶, etc, sed nota non esse certum an ita apparuerit Dominus discipulis ut ab illis visus sit per fores clausas ingrediens, nam potius Ambrosius in Lucam ait Dominum subito adstitisse discipulis ac si angelus eis appareret et illos non potuisse percipere qua fuisset ingressus.

26. Constat Deus ostendisse suis manus, latus et pedes, ut habemus in Lc, et quidem cur cicatrices in suo corpore manere voluisse optime Cyrillus et Augustinus tract.121, sed nota certum videri Dominum suis vestitum apparuisse atque ita ad ostendenda vulnerum loca opus fuit ut humanissime latus et pedes nudaret. (Como el ama para dar el pecho al niño). [f.126]

27. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Id est meum vobis munus trado, vos mei vicarios constituo. Ita Chrysostomus, Theophylactus⁶⁷ et Euthymius⁶⁸. (Legatus delegat.)

⁵⁷ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.7*, PL 22,991.

⁵⁸ EUTHYMIUM, *Comment in Ev Mt 28,16*. PG 129,762.

⁵⁹ THOMAS A.Q., *Summa Theol.*, q.55, a.3 ad 4. Ed. Vivés t.5, p.285.

⁶⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil.86(85)*. PG 59,468.

⁶¹ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias P. Lombardi 4, d.44, q.6, ad 3*. Antverpiae 1566, fol.400.

⁶² HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.7*. PL 22,991.

⁶³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 86(85)*. PG 59,470.

⁶⁴ AUGUSTINUM, *In Ev Jn tract 121*. PL 34,1958.

⁶⁵ CYRILUS ALEX., *In Jn Ev l.12*. PG 74,703.

⁶⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20,19-23*.

⁶⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20,19-23*. ,298.

⁶⁸ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Jn 20,21*. PG 129,1486.

28. ***Insufflavit Jesus.*** Augustinus⁶⁹, tract.121 denotari credit processionem Spiritus Sancti a Filio. Cajetanus⁷⁰ explicat quam apte expresserit Spiritus incorporei donationem, Cyrillus⁷¹ vero ad hominis formationem respicit Gn 2 *inspiravit enim Deus spiraculum vitae*, atque idem in reformatione vitae christianae atque divinae Spiritum concedit. Et nota spiritum oris quamvis non sit substantiae spirantis pars, odore tamen atque calore et aliis qualitatibus eum referre, ut non mirum sit Paulum eo Spiritu afflatu dixisse *Christi bonus odor sumus* etc.

29. ***Accipite Spiritum Sanctum.*** Quaerunt Sancti quomodo nunc tribuat Christus quod promiserat in diem Pentecostem. Chrysostomus⁷², homil.85 refert quorundam sententiam dicentium nunc non esse datum discipulis Spiritum Sanctum, sed tantum per hanc insufflationem redditos esse idoneos ad illum postea accipiendum, ita ut accipite sit idem quod idonei estote ad accipiendum. Hanc expositionem recipiunt Thephylactus et Euthymius, verum illa omnino est aliena a veritate quia non diceret accipite si non daret, ut bene argumentatur Cyrillus. Aliter ergo Chrysostomus⁷³, Thephylactus et Euthymius⁷⁴, nempe Christum hic loqui de potestate et gratia spirituali quam acceperunt ad remittenda peccata, postea autem, in die Pentecostes acceperunt Spiritum ad miracula et signa. Cyrillus⁷⁵ vero ait multa Dominum generaliter promississe quae prius ipse ex parte praestitit ut crederent homines ipsum quoque generaliter facturum ut promisit; v.gr. Promisit resurrectionem generalem mortuorum et tamen ante id temporis ipse suscitavit quosdam. Dixit etiam Mt 13 [43] *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum* et ut hoc ostenderet transfiguravit seipsum c.17. Eodem ergo modo cum se missurum ad omnes Spiritum dixerit in die Pentecostes nunc primitias huius promissionis et quasi arrabonem dedit in discipulis, daturum postea expressiorem gratiae operationem et maiorem manifestationem inhabitantis Spiritus. Ait etiam Cyrillus nunc Apostolos accepisse potestatem administrandi Sacramenta seu misteria gubernandi et remittendi peccata per baptismum et poenitentiam. Hieronymus, q.9 ad Hedibiam⁷⁶ ait varias esse Spiritus Sancti donationes iuxta id 1Cor 12[4] *divisiones gratiarum sunt* etc. Prima igitur die resurrectionis (inquit) acceperunt Apostoli gratiam

⁶⁹ AUGUSTINUS, *In Ev Jn tract 121*. PL 34,1958.

⁷⁰ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Jn 20*. Lugduni 1573, col.496v.

⁷¹ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev l.12*. PG 74,714.

⁷² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 86(85)*. PG 59,471.

⁷³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 86(85)*. PG 59,471.

⁷⁴ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Jn 20,22*, PG 129,1486.

⁷⁵ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev l.12*. PG 74,711.

⁷⁶ HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.7*. PL 22,994.

qua peccata dimitterent et Spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Salvatore dicente *quorum remiseritis peccata* etc; die autem Pentecostes eis amplius concessum est ut baptizarentur Spiritu Sancto et induerentur virtute ex alto qua Christi Evangelium cunctis gentibus praedicarent iuxta id quod Ps 67[12] legimus *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* et ut haberent operationem virtutum et gratiam sanitatum et donum linguarum, etc.

30. Conveniunt ergo in hoc quod Apostoli in die resurrectionis acceperunt potestatem remittendi peccata per poenitentiam, ex quo patet quam vere docuerit Tridentinum sess.14, c.1⁷⁷, hoc potissimum loco institutum esse sacramentum poenitentiae et per insufflationem et verba Domini *accipite* communicatam esse a Christo potestatem *remittendi et retinendi peccata* per poenitentiam *Apostolis et eorum legitimis successoribus, sicut universorum Patrum consensus semper intellexit*. Haec Tridentinum. Et nota Cajetanum⁷⁸ licet hunc locum de eodem sacramento interpretetur non tamen recte loqui, ait enim non fuisse a Christo institutum sed relictum Ecclesiae utrum voluntaria peccati confessio publica esse deberet an privata, et his verbis non tradi praeceptum confessionis, quae duo sunt aperte contra ea quae definivit Concilium c.5 et canone 6⁷⁹. [f.121v]

31. Nota praeterea ibidem, canone 3⁸⁰ scriptum esse *si quis illa verba Domini accipite Spiritum Sanctum dixerit non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit*. Sed obiicies Cyrillum⁸¹, l.12, c.56 aperte docere hoc loco tradi Apostolis potestatem praedicandi Evangelium. Respondeo anathema in nostri temporis haereticos torqueri qui detorquent haec verba ad auctoritatem praedicandi, Cyrillus autem nequaquam de his verbis intelligit accipite Spiritum Sanctum etc, sed de illis quae praecedunt *sicut misit me Pater et ego mitto vos*. Imo et haec verba non solum interpretatur de officio praedicandi sed etiam de sacramentorum sive misteriorum administratione, quod haeretici negant. Illa vero verba *accipite Spiritum Sanctum* tantummodo intelligit de potestate remittendi peccata per baptismum et poenitentiam, ut patet prope finem

⁷⁷ Dz 894.

⁷⁸ CAJETANUS, *In quatuor Ev*, c.20. Lugduni 1573, fol.497.

⁷⁹ Dz 899, 902.

⁸⁰ Dz 913.

⁸¹ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev L.12*. PG 74,711.

capitis 56, sicut Hieronymus⁸² et Rupertus⁸³ et alii. Sensus ergo est accipite Spiritum Sanctum per quem trado vobis potestatem ordinis quam etiam qui est in peccato habere potest, et simul vobis trado gratiam et sanctificationem ut digne et sancte hanc potestatem exerceatis non in aliorum solum salutem sed et in vestram.

32. *Quorum retinueritis* vel non absolvendo eos qui ad vos veniunt vel eos quos indignos putabitis.

33. *Thomas autem qui dicitur Dydimus non erat cum eis.* Nota 1° idem esse hebraice Thomas et graece Dydimus et latine Gemellum. Deinde nota Cyrillum affirmare Thomam absentem accepisse potestatem remittendi peccata quando alii acceperunt. Et probat a simili quoniam Num 11[26] elegit Moises 70 senes et dedit illis Deus Spiritum Sanctum, et cum duo ex illis, Eldad et Medad, mansissent in castris, etiam datus est illis Spiritus et ita prophetabant ut reliqui qui erant cum Moise ad ostium Tabernaculi. Sed contra est quod potestas ordinis non datur absenti, atque ita alii verisimilius putant Thomam non accepisse nunc eam potestatem sed postea, octavo die, cum aderat, licet id omiserit Evangelista.

34. Absentia Thomae facit difficultatem, Lc 24,33 *invenerunt congregatos undecim et eos qui cum illis erant*: Respondet Euthymius⁸⁴ *undecim* connumerari quia aderat Mathias qui postea electus est in Apostolum. Jansenius⁸⁵, c.146 fine et 147 in principio ait D. Lucam per sinecdochem dixisse *undecim* quoniam collegium Apostolorum tunc dicebatur *undecim*, et probare conatur ex Paulo et Augustino, sed revera non satis probat neque Augustinus adeo illi favet sicut ipse putat nam Augustini⁸⁶ sententia est Thomam adfuisse cum advenerunt discipuli sed exiisse antequam eis Dominus haec loquentibus appareret, ita etiam Beda et Cyranus in Lc, et Cajetanus⁸⁷ in Jn. Quae sententia videtur verior, et facile est intelligere quomodo in medio sermone Thomas loquentes reliquerit, fortasse quia videbat caeteros credere et ipse erat incredulus, et ideo quasi offensus eorum facili ut ipse putabat credulitate discessit, sic enim facere solemus cum nobis sermo aliorum

⁸² HIERONYMUS, *Ad Hedibiam c.9.* PL 22,994.

⁸³ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn, c.20.* PL 169,810.

⁸⁴ EUTHYMIUS, *Comment in Lc 24,33.* PG 129,1099.

⁸⁵ JANSSENS, *In Concordiam c.146s.* Lugduni 1580, p.1072.

⁸⁶ AUGUSTINUS, *3 De consensu Evangelistarum c.25.* PL 34,1210.

⁸⁷ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Jn 20.* Lugduni 1573, fol.497v.

displicet. Scio Chrysostomum⁸⁸, Theophylactum⁸⁹ et Euthymium suspicari Thomam ex fuga nondum rediisse, sed id non apparet verisimile.

35. **Fixuram clavorum.** Vide notationes Francisci Lucae⁹⁰.

36. **Post dies octo iterum erant discipuli eius intus.** Ex his verbis docet Augustinus, 3 De consensu, c.25, ante transisse dies octo quam Dominus in Galilaea se ostenderet discipulis, et idem videtur sentire Euthymius⁹¹ et Cajetanus⁹² initio capitis sequentis. Et probatur quia idem videtur esse si dicas iterum erant intus, et iterum erant in eodem loco clausi; ergo adhuc erant Hierosolymis. Nihilominus Hieronymus in Mt aperte ostendit hanc apparitionem contigisse in Galilaea, nam cum explicat undecim discipuli abierunt in Galilaeam, ait tunc manifestius ostendit Thomae et latus lancea vulneratum et manus fixas clavis. Idem hic affirmat Rupertus⁹³ et alii quia aiunt non esse credibile postquam Dominus discipulos iussit abire in Galilaeam tandiu fuisse moratos in Hierusalem. [f.122] Et probant etiam ex initio capitis sequentis *postea manifestavit se iterum Jesus*, nam τὸ *iterum* designat secundam apparitionem scilicet earum quae facta sunt in Galilaea.

37. Circa illa verba Thomae **Dominus meus et Deus meus**, nota 1^o suspicari aliquem posse prima facie eiusmodi exclamationem non ostendere Thomam agnoscere Christi divinitatem, nam quovis perspecto miraculo exclamare aliquis posset o Deum immortalem nec apparet unde constet Thomam haec verba ad Christum referre, neque enim dicit Tu es Dominus et Deus meus, neque invocativo o Domine Deus meus sed in nominativo, et etiam ex graeco patet qui nominativus videtur referri posse ad admirationem et exclamationem ad Deum Patrem. Nihilominus dico evidens esse id quod omnes interpretaetes sequuntur, nempe Thomam his verbis Christum praedicare Deum, nam alioqui non cohaerebat textus, nempe *respondit Thomas et dixit ei Dominus meus et Deus meus; si dixit ei Dominus meus et Deus meus*, ergo illum appellavit Deum suum. Adde quod in graeco cum articulo legimus ὁ Κυρίος μου καὶ ὁ Θεός μου, el Señor mío, el Dios mío, quasi diceret vos sois el Señor mío, el Dios mío, nam alioqui quorsum erat articulus et quorsum haec verba annoteret Evangelista dicta esse Christo.

⁸⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 87(86)*. PG 59,473.

⁸⁹ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn c.20*. PG 124,299.

⁹⁰ FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, *Comment in S. J.C.Ev secundum Jn supplementum, c.20*. Antverpiae 1612, p.175.

⁹¹ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Jn 20,26*. PG 129,1487.

⁹² CAJETANUS, *In quatuor Ev, Jn 21*. Lugduni 1573, fol.493.

⁹³ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn, c.20*. PL 169,813.

Certe Erasmus⁹⁴ qui nescio qua intentione enervare videtur velle alia loca quae ad Christi divinitatem pertinent, hic convincitur fateri nullum esse evadendi locum, ita ut non defuerint ex iis qui acerbius contra illum invehuntur et peius suspicantur qui annotarent illum noluisse nobis alium relinquere locum nisi hunc qui valde infirmus apparet ut divinitas Christi videretur non valde firmis fundamentis niti. Verum re bene perspecta iste locus non est infirmus ut aiunt, sed efficacissimus et utinam in caeteris ita fuisset acutus in perspicendo Erasmus.

38. **Quia vidisti Me Thoma credidisti.** Quaeritur an tantum viderit an etiam tetigerit. Glossa dubitat. Euthymius⁹⁵ existimat non tetigisse, sed contrarium sentit Augustinus⁹⁶ tract. 121: videbat (ait) tangebaturque Hominem et confitebatur Deum quem non videbat neque tangebatur, sed per hoc quod videbat atque tangebatur illum, iam remota dubitatione credebat. Idem ait Gregorius homil. 26 in Evangelia, idem Cyrillus⁹⁷, Theophylactus⁹⁸ et Beda⁹⁹. Idem etiam sentire videtur Chrysostomus. Nec videtur in ea re dubitandum quoniam cum Dominus dixerit *infer digitum tuum huc*, nisi inferret non praeteriret Joannes eum sine tactu credidisse. Hoc etiam pertinet ad fidem resurrectionis Christi magis confirmandam, quare qui propterea permisit Thomam dubitare quia caeteris expediebat sine dubio permisit etiam ut ille non crederet quousque tangeret.

39. **Beati qui non viderunt et crediderunt.** Per praeteritum loquitur de iis qui credituri erant per Apostolorum praedicationem, ut intelligunt Gregorius, Augustinus¹⁰⁰, Chrysostomus¹⁰¹, Theophylactus¹⁰², etc. neque tamen propterea illos intelligere debemus Apostolis esse beatiores, sed sensus est felices esse illos qui non adeo increduli sunt ut postulent sibi exhiberi coram miracula. Et caeteris paribus maioris esse meriti credere quanto minus cogitur intellectus rerum evidentia, dummodo prudenter credat.

40. **Multa quidem et alia signa fecit Jesus.** Hieronymus, Theophylactus¹⁰³ et Euthymius¹⁰⁴ putant Joannem loqui de signis factis post resurrectionem

⁹⁴ DESIDERIUS ERASMUS, *Opera omnia*, t. 6, Jn 20, 28, nota. Lugduni 1705, col 417.

⁹⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Jn 20, 28*. PG 129, 1490.

⁹⁶ AUGUSTINUS, *In Ev Jn tract 121*. PL 35, 1958.

⁹⁷ CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev l. 12*. PG 74, 727.

⁹⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn c. 20*. PG 124, 302.

⁹⁹ VENERABILIS BEDA, *In S. Jn Ev expositio 20, 29*. PL 92, 921.

¹⁰⁰ AUGUSTINUS, *In Ev Jn tract 121*. PL 35, 1959.

¹⁰¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 87 (869)*. PG 59, 474.

¹⁰² THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn c. 20*. PG 124, 302.

¹⁰³ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn c. 20, 30*. PG 124, 302.

¹⁰⁴ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 20, 30*. PG 129, 1490.

quibus se discipulis manifestavit et ideo dixit in conspectu discipulorum suorum, nam signa facta ante resurrectionem in conspectu omnium facta sunt; sed secunda expositio quam subdit Euthymius intelligit haec verba de omnibus signis factis ante et post resurrectionem, quam merito sequuntur Augustinus, D.Thomas¹⁰⁵, Cajetanus¹⁰⁶ et Lyra [f.122v] secundum quam Evangelista quasi librum claudere volens reddit rationem cur pauca ex miraculis Christi scripserit et non omnia. Sed dices cur hanc conclusionem apposuit antequam narret ea miracula quae continentur capite sequenti. Augustinus¹⁰⁷ tract.122 ait hoc capitulum velut libri huius indicat finem et quoniam capite sequenti narraturus erat captura piscium, in qua Ecclesiae Sacramentum commendatur, videlicet qualis futura sit ultima resurrectio mortuorum, voluit illa verba addere ut essent finis praecedentis historiae et quasi proemium quodam sequentis quod ei faceret quodammodo eminentiorem locum. Jansenius¹⁰⁸ c.147 affirmat ista verba posita esse a Joanne ut finem Evangelii, sed cum postea memoriae occurrerent quae ultimo capite scripta sunt, potissimum quae de Primatu Petri dicuntur, dignum iudicasse ut literis mandarentur. Itaque intelligit Joannem cum haec verba apposuit non habuisse animum plura scribendi. Verum id non apparet verisimile; simplicius ergo est Evangelistam in his verbis excusare se quod non narret omnia et auctoritati aliorum Evangelistarum consulere dum ea scribunt quae ipse praeteriit ut aiunt S.Thomas¹⁰⁹, Cajetanus et Lyra, et hac conclusione suum indicare finem ut Jesus credatur esse verum Messiam, et deinde aliam addere apparitionem non tam ut veritas resurrectionis ostendatur quam ut misteria describantur Ecclesiae et Primatus Petri, nam ad fidem Christi et resurrectionis satis erant praecedentia.

Circa caput Joannis 21

1. Quomodo Apostoli post vocationem ad apostolatam redierint ad artem piscatoriam vide Augustinum¹¹⁰, tract.122, et Gregorium¹¹¹, homil. 29 in Evangelia.

¹⁰⁵ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.20*. Ed Vivès t.17, p.688.

¹⁰⁶ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Jn 20*. Lugduni 1573, fol.498v.

¹⁰⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 122*. PL 35,1959.

¹⁰⁸ JANSSENS, *In Concordiam c.147*. Lugduni 1580, p.1077.

¹⁰⁹ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.21*. Ed. Vivès t.17,688.

¹¹⁰ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 122*. PL 35,1960.

¹¹¹ GREGORIUS MAGNUS, *In Ev homil 24*. PL 76,1184.

2. ***Pueri numquid pulmentarium habetis.*** Quaeritur cur pueros vocet. Euthymius¹¹² ait sic solere operarios appellari. Como llamamos mozos a los que sirven, pero eso es sus amos. Y Cristo no trata así a los pescadores como su amo, sino como quien quería comprar. Adde quod in graeco est diminutivum *pedia*, id est parvuli. Quibusdam ergo magis placet sententia Cajetani in qua Christus blandius alloquitur illos et ait pueri, id est filii.

(πεδιον, redditur puella Mc 5[41], filius, Jn 4, Infans, ad Haebr 11 et 1Jn 2 et puer, saepe ponitur pro discipulis Is 8 et ad Heb 2.)

Nosti quid sit *pulmenti*. Plinio lib.28, c.8.

3. ***Tunica praecinxit se.*** Forsam nomen *tunicae* late accipiendum est pro quovis amiculo, gr. ἐπενδύτης, apud Theophylactum¹¹³ est linteum quodam quo piscatores se amiciebant. Apud alios idem quod indumentum, et aiunt indumentum quod accepit Petrus fuisse tunicam quia erat nudus.

4. ***Misit se in mare.*** Cyranus contendit pedibus ambulasse super mare. Sed contra est Chrysostomus, Theophylactus¹¹⁴, Euthymius, Beda, et favet Cyrillus. Et favere videtur Burgensis.

5. ***Cum tanti essent.*** Vide Jn 6 [9] graece τοσοῦτων ὄντων, sed potest etiam ad magnitudinem sicut ad multitudinem referri ut apud interpraetem Euthymii¹¹⁵.

6. ***Nemo discumbentium audebat eum interrogare.*** Augustinus id tribuit certitudini, quorsum enim interrogarent de re certa. Chrysostomus vero, Theophylactus¹¹⁶ et Euthymius¹¹⁷ potius tribuunt reverentiae. Graeca hic pro *discumbentium* habent *discipulorum*, et referunt lovanienses quodam manuscriptum quod habet *discentium*. Sed noster interpraes numquam solet discipulos appellare discentes, atque ita potius legendum est *discumbentium* vel *discipulorum*, et inter has lectiones praeferenda est latina nam ex consensu latinorum apparet mendum esse in graeca.

7. De mystica huius miraculi expositione vide Cyrillum, Theophylactum¹¹⁸ et Rupertum, et latius Gregorius, homilia 24 in Evangelia, et latissime et eruditissime Augustinus tract. 122 et 123.

[f.123]

¹¹² EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,5*. PG 129,1491.

¹¹³ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn,20*. PG 124,306.

¹¹⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20*. PG 124,306.

¹¹⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,10*. PG 129,1494.

¹¹⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20*. PG 124,306.

¹¹⁷ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,12*. PG 129,1495.

¹¹⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn 20*. PG 124,307.

8. Habemus iam septem Christi apparitiones, nempe quinque ipso die Resurrectionis factas, et sextam octavo die coram Thoma, et septimam ad mare Tiberiadis. Octava fuit in monte Galilaeae, de qua Mt, et nona eo die quo assumptus est in coelum, ut ait Lc. Et de hac ultima apparitione scribit Mc *novissime recumbentibus undecim discipulis* etc, quae non facta est in Galilaea sed in Hierusalem, Augustinus, 3 Deconsensu, c.25, facit ex ista nona duas, quarum primam scribat Mc, et alteram Lc, sed multo probabilius est apparitionem quae est apud Mc fuisse ultimam ut verba ipsa ostendunt *et Dominus quidem Jesus postquam loquutus est eis assumptus est in Coelum*. Atque ita censuerunt Tatianus et Ammonius in armonia Evangeliorum, et Renardus in sua armonia c.33. Gregorius¹¹⁹ homilia 29, Beda et Lyra in Mc. Bernardus¹²⁰, sermone 1 de Ascensione. Sed intelligendum est ibi apud Mc repraesendi discipulos, non quod tunc non crederent sed quod antea non credidissent, quod ultimo die facere voluit ut fidem caeteris maxime commendatam relinqueret. Quamvis sint qui velint repraesensionem illam quae est apud Mc non ad diem Ascensionis sed ad diem Resurrectionis pertinere.

9. In apparitionum ordine videtur difficultatem habere quod ait Paulus 1Cor 15 *et post hoc undecim, deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus, novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi*. Respondeo haec optime cum supradictis cohaerere nam Cephae seu Petro apparuit priusquam ulli viro, et deinde visus est undecim Apostolis, quia decem eum viderunt ipso die Resurrectionis et Thomae cum caeteris octavo die, et nonnullis ad mare Tiberiadis; apparitio vero illa que facta est plus quem quingentis fratribus videtur esse illa octava quam diximus facta in monte Galilaeae in qua etiam per aliquos dies cum discipulis conversatus est Dominus instruens eos in Ecclesiae gubernatione. Vide Hieronymum¹²¹ q.7 ad Hedibiam.

Quod vero dicitur deinde apparuisse Jacobo, nonnulli putant Paulum non servasse ordinem temporum, quia credunt Jacobum seorsum vidisse Dominum ipso die Resurrectionis iuxta ea quae refert Hieronymus, De viris illustribus, ex evangelio hebraeorum sive Nazareorum. Ita videtur sentire Anselmus, 1Cor 15, sed multo verisimilius est quod ait Augustinus¹²², 3 De consensu c.25, nempe Paulum loqui de aliqua apparitione postea facta Jacobo, et adhuc fortasse sub iudice est an ille Jacobus sit ex numero duodecim Apostolorum.

¹¹⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Homil 29 in Ev*. PL 76,1216.

¹²⁰ BERNARDUS, *De Ascensione Domini sermo 1*. PL 183,299.

¹²¹ HIERONYMUS, *Ad hedibiam de qq.XII. c.7*. PL 22,991.

¹²² AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum, l.3, c.25*. PL 34,1203.

Quod vero subdit Paulus deinde visum esse Apostolis omnibus, id ad diem Ascensionis pertinet, et post Ascensionem ait sibi apparuisse, nempe in conversione. Denique credibile etiam est alias apparitiones fuisse praeter eas quas distincte narrat Sacra Scriptura, quia Lc ait Christum post Passionem suam praebuisse se ipsum vivum in multis argumentis per dies 40 apparens eis et loquens de regno Dei.

10. Quando autem Beatissimae Virgini apparuerit nec Evangelistae nec sancti veteres fere dixerunt. Nihilominus pro certo haberi debet eam primam mortalium Christum vidisse post Resurrectionem. Ambrosius, 3 de virginibus et Nicephorus in Historia c.32 et 33 existimant apparitionem Virginis factam in Evangelio contineri, et probant ex verbis Mt *venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulchrum*, ubi per *alteram Mariam* intelligunt Matrem Domini, sed ex Mc constat illam alteram Mariam esse Mariam Jacobi, et alioqui id erat per se manifestum, quia si esset Matrem Domini primo loco commemoraretur. Adde quod numquam in Evangeliiis ita nominari solet nec ullo modo credibile est eam paravisse unguenta ut in die Resurrectionis ungeret Dominum quem certissime credebat eodem die surrecturum. Multo melius Anselmus¹²³ libro de excellentia Virginis Mariae, c.6, *si aliquis inquit quaerat cur Evangelistae non scripserint primae omnium Matri suae apparuisse Dominum* dicimus quod a quodam sapiente de hoc ipso sciscitantantes audivimus tantam esse evangelicae narrationis auctoritatem ut nihil in ea sit superfluum, si autem hoc de Virgine narraretur quis non superfluum diceret? B. Vincentius sermone 1 in die Paschae, convictio esse plurium theologorum Dominum primo omnium Matri suae apparuisse, et non meminisse huius rei Evangelistae quoniam voluerunt nominare testes Resurrectionis [f.123v] indubitatos, Matri autem in causa Filii non ita crederetur. Adducit deinde tres *cogentes* ut ipse appellat rationes: 1^a, quia scriptum est Eccli [7,29] *honora patrem tuum et gemitus matris tuae non obliviscaris*. 2^a, quia visio correspondet fidei, ergo prima debuit esse in visione quae certissima erat in fide. 3^a, quia si de Magdalena dicitur prima meretur gaudia quae plus ardebat caeteris, quanto magis hoc de Virgine dicendum est. Quod autem ait Mc *apparuit primo Mariae Magdalene* nihil obstat ut norunt omnes, quia sermo est de iis apparitionibus quae ad fidem Resurrectionis narrandae erant.

11. *Simon Joannis* vel Jona. De nomine patris divi Petri vide quae diximus c.1, lect.13, n.14. Porro Dominus ante Passionem suam promiserat Petro Primatum et gubernationem univeralis Ecclesiae Mt 16. Ne autem

¹²³ EADMERUS MONACHUS (DISCIP. S.ANSELMI), *De excellentia Virginis Mariae*, c.6. PL 159,568.

Petrus putaret propter negationem Dominum mutasse sententiam nunc ei apostolatus renovat dignitatem (ut ait Cyrillus) et tradit quod promisit. Sed quoniam hoc munus sine recto Dei amore recte geri non potest, amorem ab eo maximum exigit dicens *diligis me plus his*. In quo etiam ostendit, ut ait Chrysostomus, homil 87, amorem quo suas oves prosequitur, quas committere non vult nisi ei a quo plus quam a caeteris amaretur. Docet etiam eum qui maiorem Dei in se clementiam expertus fuerit maiori amore affici debere, ut notat Cyrillus, ut magis diligat cui plus dimittitur. Vide Lc 7. Ter vero de amore interrogatur ut trins negatio aequali confessionis numero compensetur, ut ait Cyrillus; et Augustinus, tract.123, redditur negationi trinae trina confessio ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse mors imminens quam vita praesens.

12. ***Etiam Domine, Tu scis quia amo Te.*** Non audet respondere se plus aliis diligere, sed tamen ait se amare, quia lapsus eum modestum fecerat. Praetulerat se aliis, Mt 26, dicens *etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*, et postea caeteris omnibus turpius cecidit atque ideo nunc dicit quid de se intelligat, neque aliis se praefert, quia corda eorum non viderat. Porro quod interrogetur an *diligat* et alio verbo respondeat se *amare*, nihil misterii quia in Sacra Scriptura pro eodem sumitur amor et dilectio, ut notat Augustinus¹²⁴ 14 De civitate c.7, et patet quia in 3^a interrogatione Dominus utitur eodem verbo quo Petrus respondet, et noster interpraes per verbum amo solet reddere utrumque verbum graecum, scilicet φιλεῖν et ἀγαπᾶν.

potest, amorem ab eo maximum exigit dicens *diligis Me plus his*? In quo etiam ostendit, ut ait Chrysostomus¹²⁵ homil.87, amorem quo suas oves prosequitur quas committere non vult nisi ei a quo plus quam a caeteris amaretur. Docet etiam eum qui maiorem Dei in se clementiam expertus fuerit maiore amore affici debere, ut notat Cyrillus, ut magis diligat cui plus dimittitur. Vide Lc 7[47]. Ter vero de amore interrogatur ut trina negatio aequali confessionis numero compensetur, ut ait Cyrillus; et Augustinus, tr.123, *redditur negationi trinae trina confessio ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videarur mors imminens quam vita praesens.*

13. ***Pasce agnos meos***, id est non ut tuos sed ut meos. Vide Augustinum, tract. 123, et illud 1Pt 5, *pascite qui in vobis est gregem Dei providentes, non coacte sed spontanee, nec turpis lucri gratia nec dominantes in cleris sed*

¹²⁴ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.7. PL 41,410.

¹²⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *homil 88 (87) in Jn*. PG 59,479.

forma facti gregis ex animo. Sed nota graecos 1° tantum loco legere *agnos*, in reliquis duobus legunt *oves*; latini autem 1° et 2° loco legunt *pasce agnos meos* et in 3° *pasce oves meas*. Sed lectio latinorum mihi magis probatur, non enim assentior Jansenio qui c.148 pro eodem accipit *agnos* et *oves*. Melius Euthymius¹²⁶ et Theophilactus¹²⁷ qui dicunt *agnos* intelligi imperfectiores, *oves* vero perfectiores. Nonnulli *agnos* dici putant (ut nomen ipsum indicat) recens ad fidem conversos et teneriores in fide, quorum magnus erat numerus futurus incipientibus apostolis praedicare, atque hi maiore cura indigebant quoniam maiore labore educandi atque pascendi, et ideo Dominus bis dicit *pasce agnos meos* ut hac repetitione ostenderet se optare ut Petrus magnam illorum curam habeat, *oves* autem vocat iam robustiores [f.124] in fide quos, cur ita vocet diximus c .10.

14. In trina repetitione illius verbi *pasce* quidam ex dictis expendunt ea ratione explicari quod agni indigebant maiori cura sed non propterea *oves* esse relinquendas, sed utcumque sit ea ratione ostendit Christus quanti faciat suos et quantum a Petro curari velit. Bernardus¹²⁸, sermone 2 de Resurrectione ita interpretatur: *pasce mente, pasce ore, pasce opere, pasce animi oratione, pasce verbi exhortatione, et exempli exhibitione.* Alii: *pasce verbo veritatis, vitae exemplo et temporali subsidio.* Vide Lyranum et Gregorium¹²⁹ homilia 14 et 24.

15. Quomodo hinc probetur Primatus Petri super omnes Apostolos late multi. Vide Euthymium¹³⁰ qui sigillatim per *oves* intelligit Apostolos. Vide etiam Bernardum¹³¹ libro 2 de Consideratione circa finem. Et Innocentium III c. soliti de maioritate et oboedientia.

16. *Contristatus est Petrus.* Vide quomodo didicerat experientia Christum nosse futura, atque ita timebat ne forte aliquid simile Dominus nunc ei praedicat, sicut in Coena *ter me negabis.*

17. *Cum esses junior* etc. Postquam ei commisit Ecclesiam praedicit martyrium ut magnam mercedem laborum. Vide Augustinum¹³² tract. 123 hinc invenit exitum ille negator et amator etc. Ex hoc autem loco bene

¹²⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,16.* PG 129,1498.

¹²⁷ THEOPHILACTUS, *Enarr in Ev Jn 21,15.* PG 124,311.

¹²⁸ BERNARDUS, *Sermone 2 in temp. Resurr.* PL 183,285.

¹²⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Homil 14 in Ev.* PL 76,1127. *Homil 24.* PL 76,1184.

¹³⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,16.* PG 129,1498.

¹³¹ BERNARDUS, *De consideratione, l.2, c.13.* 183,756.

¹³² AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.123.* PL 35,1967.

colligit Chrysostomus quod tunc Petrus nec erat juvenis nec senex sed in perfecta aetate virili. Adhuc tamen restat explicare quomodo iste modus loquendi deserviat ad significandum genus mortis quo Petrus erat Christum Crucifixum simili Passione glorificaturus, nam potius videtur apta metaphora ad ipsam senectutem explicandam, in qua repuerascit homo et iam aetate gravatus et infirmitate impeditus non potest se ipsum induere et cingere neque suis utitur pedibus sed aptus est ut veluti pusio extendat brachia ut alius illum induat atque praecingat et sinat se vel aliorum brachiis vel sella vehi. Respondeo Dominum quidem ad secundam infantiam alludere quia nisi efficiamur sicut parvuli non intrabimus in Regnum Coelorum, sed nihilominus aptissime expraesisse mortis genus quia similiter crucifigendus veluti ab alio induendus extendit brachia; et non valet suis pedibus uti, sed a divina providentia tanquam a nutrice vestitur atque ligatur et quamvis plorans ducitur ad eam mortem quae potius est dicenda vita quam mors. Vide quam apte cadat in divum Petrum id Oseae 11,3 *ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis in funiculis Adam, in vinculis charitatis*, etc.

18. ***Alius te cinget.*** Ex his verbis intelligit Lyranus Petrum non clavis confixum fuisse in cruce sed funibus ligatum. Sed contra est quod Sancti et Patres uno ore dicunt Petrum fuisse crucifixum. Quidam ut concilient suspicantur manibus et pedibus clavis confixis tunc Petri corpus fuisse aliquo fune ad crucem ligatum ita enim dicebantur apud latinos ad palum ligati pro eo quod et crucifixi; alii coniiiciunt post crucifixionem tunc aliquod linteum aptari solitum corpori ad honestatem quemadmodum semper depingitur imago crucifixi. Sed haec sunt optata potius quam inventa. Simplicius est non esse enuntiative explicanda illa verba *alius cinget te* sed quasi diceret: extendes brachia veluti ab alio cingendus vel extendes brachia et iam non te poteris ipse cingere nisi alterius utaris ministerio.

19. ***Et ducet quo non vis.*** Chrysostomus, Cyrillus¹³³ et Augustinus late explicant quomodo hac phrasi significetur aperte mors, et nemo sanctorum sponte patiat, et is est proculdubio sensus, quamvis non desit qui ordine praeponere de comprehensione et in carcerem detrusione intelligant.

20. ***Sequere me.*** Quomodo Christus haec dicens surrexerit et ambulaverit bene omnes; hoc autem faciens et iubens ut Petrus eum sequeretur significavit iterum illum et in officio pascendi oves et in morte crucis sibi succedere. Ut

¹³³ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Jn Ev libri XII, l.12,21,19*. PG 74,751.

bene Cyrillus¹³⁴, Lyranus et Jansenius. Quamvis aliter etiam Crysostomus et Theophylactus.

Sed Petrus, cum videret Joannem etiam surgere[f.125v?] [...] erudiens usque ad finem saeculi. Quod autem Joannes non significet se cum Elia et Enoc occidendum, patet quia solum dicit duos esse occidendos. Ad 4^{um} Respondeo ex illo 1Cor 15 *quotidie morior propter gloriam vestram*, id est tormenta praefero et quantum est ex me morior. Facit etiam id Exod 8 *fecerunt malefici similiter incantationibus suis ut educerent ciniphes et non potuerunt*, id est facere tentaverunt. Et ad Chrysostomum Respondeo ipsum in prologo Joannis fateri Evangelistam bibisse calicem Domini; cum tamen certum sit eum non occidisse morte violenta.

25. *Hic est discipulus ille* etc. Rursus se testem oculatum dicit eorumque scribit, ut nemo possit dubitare, erant enim iam multi haeretici.

26. *Et scimus quia verum est testimonium eius*. Euthymius videtur explicare Joannem loqui iam in persona multorum qui adhuc vivebant et eadem viderant. Sed difficile est hoc quia Joannes scripsit Evangelium in summa senectute. Alii dicunt eum in persona totius Ecclesiae, ut Cajetanus et Cano 2 de locis c.7.

27. *Nec ipsum arbitror mundum capere posse*. (χωρσαι, a verbo χωρέω). Chrysostomus, Cyrillus¹³⁵, Theophilactus¹³⁶, Euthymius¹³⁷, Cajetanus, Erasmus¹³⁸, Jansenius, etc, simpliciter dicunt haec per hyperbolem dici. Et sane verum est Sacram Scripturam aliquando hyperbolice loqui, ut Amos, 2 [9] *ego exterminavi Amorream cuius altitudo cedrorum altitudo eius*. Sed contra est quod hyperbole etiam apud poetas non debet nimis excedere modum veritatis ne ridicula sit. Quis ergo modus est de signis per tres annos factis *quod si scribenda essent mundus ea non caperet?* Agustinus, Beda, Rupertus, S. Thomas, Cyranus et alii, quos refert Theophilactus¹³⁹ verbum *capere* intelligunt de capacitate intellectus, non de capacitate loci. Sed contra est quod nec unam paginam Sacrae Scripturae poterit mundus intelligere, quoniam tantam profunditatem mysteriorum habet ut nemo eam satis consequi possit. Respondeo hunc locum omnino videri intelligendum ut exponitur a Hieronymo Mt 21, in illis verbis *si habuerit fidem*, ubi cum haec

¹³⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Jn Ev libri XII, l.12,21,19*. PG 74,751.

¹³⁵ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ev Jn libri 12, l.12, XXI,25*. PG 74,755.

¹³⁶ THEOPHILACTUS, *Enarr in Ev Jn 21,25*. PG 124,318.

¹³⁷ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 21,25*. PG 129,1502.

¹³⁸ DESIDERIUS ERASMUS, *Jn 21,19*. Opera omnia, Lugduni 1705, col.422.

¹³⁹ THEOPHILACTUS, *Enarr in Ev Jn 21,25*. PG 124,318.

verba adduxisset inquit non quod mundus haec volumina capere non potuerit quae post quamvis multiplicationem unum armariolum vel unum capere scrinium sed quod magnitudinem signorum pro miraculis et incredulitate ferre non possit. Eodem modo intelligit Nicephorus lib.1, c.24, et est sensus: si tot tamque inaudita et stupenda miracula Christi narrarentur hominibus, non possent ferre sed putarent aut homines magicis artibus delusos esse aut fabulas esse et mendacia quae narrantur, et propterea Evangelistas de maxime mirabilibus pauca dicunt: trium tantum mortuorum resurrectionem narrant et unum caecum a nativitate sanatum; de aliis autem quibus multa similia fecerant prophetae multa dicunt ut de morbis curatis et daemonibus fugatis, ut hac ratione consulerent imbecillitati audientium et fortasse ita intelligendi sunt Augustinus et Beda etc. Sed obiicit Erasmus verbum graecum non pertinere ad capacitatem animi sed ad capacitatem loci. Respondeo idem dici posse de verbo *capere*, quod tamen per metaphoram transfertur ad animum, ut Mt 19 *qui potest capere capiat* et Mt 19 *non omnes capiunt verbum hoc*, ubi est idem verbum in graeco et in eadem metaphora usurpatur a Phocilide et Nazianceno ut videre est in Thesauro graeco.